



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 1102/16/I

BEATISSIME PATER,

Stanislaus Zvolenský, Archiepiscopus Metropolita Bratislaviensis, impensos venerationis sensus Sanctitati Tuae ex animo promit et humiliter exponit: die XVI vertentis mensis Maii sescentesimus et quadragesimus complebitur annus, ex quo consecrata est ecclesia Nativitatis B. Mariae Virg. de "Marianka", praefatae Archidioeceseos, a Benedicto Divina Providentia Papa XVI ad Basilicae Minoris gradum dignitatemque die XXXI Iulii MMXI evecta.

Fretus autem fiducia, recolens ingentia beneficia spiritalia quae Annus de Misericordia Sanctus christifidelibus obtulit, et occasione sumpta a memoratis anniversariis diebus, Exc.mus Orator speciales statuit sacras functiones atque Verbi Dei celebrationes a die XIII Maii MMXVII usque ad diem XVI Maii MMXVIII in iubilari Templo peragendas, ita ut Sacramentorum recipiendorum apta cum praeparatione opportunitas quam largissime offeratur, opera fraternae supernaturalis caritatis instimulentur, et hac ratione renovatio spiritalis per Iubilarem Annum inducta, gratia Dei, mire roboretur et prorogetur.

Huic valde expetito fini consequendo, apprime iuvabit sacrarum Indulgentiarum donum quod, exinde, fiducialiter postulatur, testimonium et argumentum paternae benevolentiae Sanctitatis Tuae, et incitamentum ut solidetur in Natione Slovacha hierarchicum atque filiale vinculum erga eandem Sanctitatem Tuam. Et Deus, etc.

Die III Maii MMXVII

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Summi Pontificis Francisci, plenariam libenter concedit *Indulgentiam*, suetis condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) rite adimpletis, christifidelibus vere paenitentibus in Basilica Nativitatis B. Mariae Virg. de "Marianka" lucranda:


a.- si iubilares celebrationes, de consensu Archiepiscopi Metropolitae determinandas, religiose participaverint;


b.- si sacrae interfuerint peregrinationi, ad iubilaeum sancte celebrandum, et ibi alicui sacrae functioni aliive pio exercitio adsisterint;

c.- si seiunctim vel turmatim iubilarem inviserint Basilicam et ibi, saltem per congruum temporis spatium, piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei, invocationibusque Deiparae Virginis, Matris, Magistrae Augustaeque Reginae.

Senes, infirmi, omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, animi voto sese iis sociantes, qui piam agent visitationem vel peregrinationem, pariter *plenariam* consequi poterunt *Indulgentiam*, dummodo, concepta detestatione cuiusque peccati, et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, coram aliqua parva Beatae Mariae Virginis imagine, preces ut supra recitaverint, doloribus suis vel incommodis propriae vitae Deo per Mariam humiliter oblatis.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.


MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 1103/16/I


DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, Exc.mo ac Rev.mo Patri Domino Stanislao Zvolenský, Archiepiscopo Metropolitae Bratislaviensi, benigne concedit ut, in iubilaeo Basilicae Nativitatis B. Mariae Virg. de "Marianka", die pro fidelium utilitate eligendo, post litatum divinum Sacrificium, impertiat omnibus christifidelibus adstantibus qui, vere paenitentes atque caritate compulsi, iisdem interfuerint sacris, **papalem Benedictionem** cum adnexa *plenaria Indulgentia*, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et Orationem ad mentem Summi Pontificis) lucranda.

Christifideles qui **papalem Benedictionem** devote acceperint, etsi, rationabili circumstantia, sacris ritibus physice non adfuerint, dummodo ritus ipsos, dum peraguntur, ope instrumenti televisifici vel radiophonici propagatos pia mentis intentione secuti fuerint, *plenariam Indulgentiam*, ad normam iuris, consequi valebunt.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die III mensis Maii, anno Domini MMXVII.


MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens